

ipsis; in prioribus id non indiget explicatione; recipi enim debet illa motio in ipso agente, ut constituto in actu primo prius natura quam agat; in posterioribus autem, quia idem est agens et recipiens actionem et terminum ejus, cum proportione id intelligunt de ipso agente, ut agens est, id est, ut præsupponitur in actu primo, prius natura quam ab illo actio egrediatur et a fortiori prius natura quam in illo recipiatur. Unde consequenter etiam dicunt proximum subjectum in quo recipitur talis motio, esse ipsammet potentiam seu facultatem activam permanentem in causa secunda, quæ est principium proximum actionis ejus; ut, verbi gratia, lucem solis esse subjectum proximum in quo recipitur concursus prævius ad illuminandum, et calorem ignis ad calefaciendum, voluntatem ad volendum, et habitum charitatis ad amandum super omnia, et lumen gloriæ etiam recipere in se novam motionem vel entitatem per quam moveatur ad eliciendam visionem, et sic de cæteris; quia illud principium, *Causa secunda non movet, nisi mota*, formaliter intelligitur de motione, qua ipsummet agendi principium aliquo modo mutetur et amplius actuetur.

11. *Difficultas in assignando illo subjecto, quando principium proximum agendi causæ secundæ non est unum aliquid simplex, sed est pluribus compositum.* — Contingit autem proximum principium agendi causæ secundæ non esse unam simplicem qualitatem, sed coalescere ex multis, ut principium visionis ex visu, et specie, et fortasse ex lumine. Unde dubitari potest in illa sententia, an tunc causa secunda recipiat unum simplicem concursum prævium, vel plures quasi partiales, quasi constituentes unum; videtur enim inconueniens tot motiones multiplicare. Nihilominus tamen, consequenter loquendo, illud etiam declarandum est, quia una simplex entitas non potest immediate recipi in visu, et in specie visibili, et lumine; unumquodque autem istorum principiorum indigebat sua motione et ultima actualitate a prima causa, quia non est major ratio de uno, quam de alio; sicut etiam duo lumina concurrant ad eandem indivisibilem illuminationem, licet concursus simultaneus sit unus in actione imbitus, concursus prævius multiplicandus erit juxta numerum principiorum seu luminum agentium.

12. *Explicatur illa difficultas et urgetur.* — *Hinc sequitur nullam esse potentiam pure activam, cum omnis sit receptiva virtutis per quam in esse potentiæ compleatur.* — E contrario

vero, si ab eodem calore ignis prodeant simul calefactiones in plura combustibilia, cum sit clarum concursus simultaneos multiplicari juxta numerum actionum transeuntium, dubitari potest an concursus prævius sit unus et simplex, an vero etiam ille multiplicetur. Nam in hoc dicti auctores varie loquuntur, et facile possunt argumenta pro utraque parte fieri; sed supervacaneum duco in hoc immorari, nam, supposito illo principio, parum refert sic vel aliter, in his illationibus et aliis similibus quæ facile excogitari possunt, opinari. Solum hæc propono ut considerentur hæc et alia hujusmodi, quæ ex illa positione sequuntur. Nec omitam ulterius adducere, juxta illam sententiam consequenter dicendum esse, nullam esse potentiam activam creatam pure activam, id est, quæ, simul et quoad modum, prius passiva potentia non sit. Quia omnis potentia quæ intrinsece potest mutari, in se aliquid recipiendo, est passiva; nihil enim aliud est esse potentiam passivam, nisi esse potentiam capacem recipiendi aliquid: hoc autem habet omnis virtus activa creata, quia est capax illius præmotionis divinæ quam in se recipit, ut agat. Ergo est potentia passiva, secundum quam prius actuari debet, quam vim suam activam possit exercere, quia non potest movere nisi mota: ergo prius (ut sic dicam) est mobilis quam principium movendi; et hoc modo dicimus prius esse potentiam receptivam, utique quoad reductionem in actum. Atque ita non solum potentiæ animæ, sed omnes potentiæ naturales, calor, lux, et similes, sunt potentiæ passivæ; imo non solum potentiæ, sed etiam habitus, vel infusi, ut charitas, fides, lumen gloriæ, vel acquisiti, quatenus efficere possunt, receptivi prius sunt. Neque solum habitus, sed etiam actus ipsi secundi potentiarum animæ non sunt ultimi, sed potentiam passivam in se habent, quatenus unus actus esse potest verum principium physice efficiens alius, sicut est assensus principii assensus conclusionis, et intentio finis electionis medii; nam si efficiunt indigent concursu Dei; ergo et præmotione, sicut aliæ causæ secundæ. Hæc ergo omnia, quamvis a dictis auctoribus expresse non doceantur, necessario ab eis admittenda sunt, quia per necessariam illationem inferuntur. Quod si hæc difficulta videntur, et contra communem sensum Philosophorum loquentium de virtutibus pure activis, et de habitibus et actibus secundis, respondebunt dicti auctores illam communem doctrinam intelligendam esse de

potentiis activis et passivis, in ordine ad actiones et passiones causarum secundarum inter se, non vero in ordine ad motionem generalem primi moventis, nam respectu illius omnis actus creatus est mobilis, et consequenter est aliqua potentia passiva.

CAPUT XXXI.

QUOMODO PRÆVIUS CONCURSUS A POTENTIA, IN QUO RECIPITUR, ET AB EJUS ACTIONE DISTINGUATUR.

1. *An concursus prævius realiter distinguatur ab actione potentiæ ad quam datur.* — *Variæ sententiæ.* — Sexta interrogatio de hoc concursu est, an hæc præmotio sit res distincta ab actione et potentia in qua recipitur, et quam determinare seu applicare dicitur, vel quo modo ab ea distinguatur. Nam quod sit aliquid in re ipsa distinctum a sua potentia, nullus defensor illius sententiæ negare potest, quia fit in potentia illa per novum influxum Dei realem et per realem mutationem ejusdem potentiæ; ergo est aliquid distinctum in re ab eadem potentia, et illi de novo additum. De modo autem distinctionis videntur dicti auctores varie loqui. Nam quidam asserunt hunc prævium concursum tantum formaliter distinguere a voluntate, vel alia potentia in qua recipitur. Ita sentit Cebesudo, d. q. 62, art. 5, dub. 1, ad 3; ait enim influxum qui recipitur in causa distingui ab illa et operatione illius tantum formaliter, sicut modus rei distinguitur ab ipsa re; et simili modo distingui influxum receptum in effectu, ab ipso effectu. Sed in his verbis videtur involvi repugnantia; nam voluntas et operatio ejus distinguuntur inter se realiter; quomodo ergo potest ille influxus ab utraque distingui tantum formaliter? Nam idem modus non potest identice inesse duabus rebus realiter inter se distinctis. Item operatio causæ secundæ pertinet ad effectum ejus, vel in via, vel in termino, prout nomen operationis sumptum fuerit; ergo influxus in causam non est modus ipsius operationis. Omissa autem hac parte, in altera videtur cum illo auctore convenire Ledesma, art. 1, concl. 2, ration. 1, § *Aliqui auctores*, ubi, sub disjunctione, dicit prædeterminationem esse entitatem realem, vel saltem modum entitatis realis; et in art. 7, ad 1, definite dixit esse quemdam modum voluntatis. Fundamentum esse potest, vel quia illa distinctio sufficit, et non oportet multiplicare entitates, vel quia ille concursus est tantum quædam motio, et motio

solum est quidam modus rei motæ, nec enim oportet motum a mobili realiter distingui, ut ex philosophia constat.

2. *Difficultas adversus illos qui solum distinctionem modalem ponunt.* — Hic tamen modus dicendi parum credibilis videtur, supposita illa sententia, et præsertim loquendo de auxiliis gratiæ. Nam isti auctores in hac motione ponunt maximam gratiæ efficaciam, et illam putant esse potissimam virtutem, seu virtuosam motionem supernaturalium actuum effectricem; ergo fateantur necesse est illam esse entitatem supernaturalem sicut sunt ipsi actus; ergo oportet ut sit entitas, et non tantum modus additus voluntati. Atque hæc ratio potest cum proportione extendi ad cæteras causas et virtutes earum naturales: nam hæc motio dicitur esse rerum principium, per quod omnis causa secunda et ejus potentia efficit suum effectum, ut paulo post dicemus; at solus modus non dat per se virtutem agendi. Præterea ostendemus statim ipsum concursum non posse intelligi sine impressione alicujus qualitatis, quia nec potest esse sine termino intrinseco proximo, neque alius potest cogitari: qualitas autem, extra figuram, non est modus, sed res habens propriam entitatem, alias etiam de specie impressa dici posset tantum esse modum, et actum videndi vel appetendi tantum esse modum potentiæ. Quapropter, si concursus ille prævius judicatur necessarius, multo facilius et intelligibilius ponitur ut quædam entitas addita potentiæ ad magis actuandam illam, quia nec in calore, nec in luce, vel similibus qualitibus, concipi satis potest novus modus sine mutatione in intrinseco, et in formali effectu quem subjectis suis præbent. Multoque minus intelligitur talis mutatio in voluntate et similibus potentiis in se indivisibilibus, et naturali quodam et immutabili modo animam afficientibus. Quapropter, supposita necessitate illius concursus, negandum est sufficere modum; quia ad mutationem talium potentiarum, quæ tantum fit recipiendo aliquid novum, necessarium est aliquam entitatem seu formam illis imprimi. Nec refert quod ille concursus sit motio, tum quia non est pura motio sine termino, ut dicemus, tum etiam quia omnis motio non est idem cum mobili, sed tantum motus localis: alteratio enim distinguitur realiter a mobili, sicut et terminus ejus: hæc autem motio, si quæ est, non est localis motio, ut constat; est ergo alteratio, vel cum illa proportionem servat.

3. *An res distincta sit ab actione et effectu.* — Huic autem dubitationi septima est annexa, scilicet, an hæc præmotio sit res distincta ab actione et effectu causæ secundæ. In quo non est dubium de distinctione aliqua ex natura rei, hanc enim ut manifestam supponunt dicti auctores, et loquuntur consequenter : nam si motio illa est realis causa actionis et effectus causæ secundæ, et prior natura vera prioritate reali seu causali, necesse est ut in re sit aliqua distinctio inter illa, quia, ut supra de concursu comitante dicebamus, inter ea quæ in re non distinguuntur, non potest esse realis causalitas, vel naturalis ordo prioris et posterioris. Item, quia alias nihil reale adderet hæc præmotio concursui comitanti, quia non distingueretur ab illo in re ipsa, quod est evertere omnino eandem sententiam de concursu prævio. Unde non video quomodo, in sua sententia, subsistere possit quod dicit Ledesma, a. 6, concl. 3, rat. 3, *auxilium scilicet in ipsa operatione, et auxilium præmovens et determinans, esse omnino idem, et non differre nisi per hoc solum quod auxilium præmovens et prædeterminans tenet se ex parte principii operationis, taliter quod inde incipiat operatio.* Hæc enim subsistere non possunt : nam statim dicit auxilium imbibitum in operatione non supponi ad operationem; contrarium autem docet de auxilio præmovente: quæ sine distinctione aliqua in re neque intelligi possunt : et ita illam admittit in conclusione 5, et alibi sæpissime. Fortasse autem cum dicit esse omnino idem, intellexit esse unum ordine, ut ipse D. Thomas exponit, art. 3, ad 6 et 7. Quidquid vero sit de sensu ejus, in ea sententia non potest negari aliqua distinctio in re. De propria ergo distinctione reali, quæ solet vocari tanquam rei a re, intelligitur interrogatio, quæ, licet videatur quæstio multum speculativa, et parvi momenti ad doctrinam theologiam tradendam, nihilominus, ad clarius procedendum, et ut difficultates occurrentes in utraque sententia melius percipiantur, utile erit ostendere quid magis consequenter, magisque probabiliter, vel forte necessario in illa sententia dicendum sit.

4. *Distinctio formalis, sive modalis, a quibusdam asserta.* — Quidam ergo putant satis esse quod illa præmotio distinguatur formaliter, ut ipsi aiunt, seu modaliter et ex natura rei, ab actione et effectu causæ secundæ; hanc sententiam tenuisse doctissimos viros ejus viæ sectatores refert Ledesma, art. 6, sent. 2, nominatque Joannem Vincentium, cujus scripturam non habemus nec vidimus. Allegat item

Cumel. 1. 2, quæst. 111, art. 2, disp. 4, ubi sæpe dixit concursum vel auxilium Dei non esse nisi ipsum actum seu actionem causæ secundæ, ut a Deo fluit et pendet. Sed id magis competit concursui simultaneo quam prævio, et juxta illam explicationem non solum tollitur distinctio realis, sed etiam formalis, seu ex natura rei. Postea vero, in § *Aliqui Theologi*, addit hunc concursum esse aliquid in causa secunda, quia non movet nisi mota, sive talis motio distinguatur (ait) ab actu supernaturali, sive non. Statim autem in paragraphis sequentibus videtur distinguere illam motionem a motibus gratiæ excitantis. Unde nihil certum in hoc puncto de sententia illius auctoris in dicta disputatione colligere possum. Ipse etiam Ledesma non videtur in hac parte satis constans aut resolutus : nam in art. 5, concl. 3, rat. 4, dicit auxilium intrinsece coadjuvans operationem et prædeterminans voluntatem, esse idem secundum rem : per auxilium autem intrinsece coadjuvans, intelligit auxilium imbibitum in ipsa operatione, ut patet ex tertia conclusione, et ex principio illius tertiæ rationis. Item auxilium imbibitum vocat sæpissime concursum simultaneum; hunc ergo dicit esse idem secundum rem cum prævio, seu prædeterminante. At vero, art. 6, concl. 5, in rat. 4, dicit distingui saltem formaliter, et in ratione tertia addit distingui realiter. Et postea declarat hoc ultimum esse certum in agentibus transeuntibus actione, in aliis vero sufficere distinctionem formalem, idemque fere habet art. 3, ad 6 et 7, et latius et clarius id docet art. 7, concl. 2, ubi aliquas rationes adducit quæ, si aliquid probant, illam opinionem evertunt, ut postea declarabo, et ideo nunc illas omitto. Solum ergo videtur posse fundari in illo principio, quod etiam allegat, quia frustra ponuntur plures res, si una sufficit cum distinctione formali; hic autem distinctio formalis videtur satis ad omnia ea propter quæ ponitur hæc præmotio.

5. *Alii melius faciunt rem distinctam.* — *Primo, in agentibus transeuntibus.* — Sed multo magis consequenter loquuntur qui dicunt prævium concursum esse rem omnino distinctam a concursu concomitante, et consequenter ab actione et effectu causæ secundæ, nam profecto, ablata distinctione reali, facillimum erit, imo necessarium, alteram distinctionem ex natura rei tollere. Et imprimis, loquendo de influxu primæ causæ in secundam agentem actione transeunte, si ille influxus est aliquid in causa, necesse est esse rem distinctam ab

actione ejusdem causæ, quia est in subjecto realiter distincto, nam ille influxus prævius est in igne calefaciente, verbi gratia, ut jam diximus, alio vero ignis est in ligno in quo fit calor, ut lib. 1 de Auxil., cap. 6, notavi. Ergo in his saltem agentibus non potest dubitari de distinctione reali, ut tandem Ledesma fatetur.

6. *Secundo, in agentibus immanentibus.* — Hinc vero argumentum fere cogens sumitur ad voluntatem, vel alias potentias operantes actione immanente, primo, quia in aliis causis propria causa distinctionis illorum concursuum non est distinctio subjectorum. Sed hoc a posteriori est signum ostendens evidentius distinctionem. Ratio autem propria distinctionis ex intrinseca natura utriusque concursus prævii et simultanei sumenda est; talis autem ratio, quæcumque fingatur in causis agentibus actione transeuntibus, in his etiam quæ agunt actione immanente invenitur, sive hæc sit, quia unus concursus est principium alterius, sive quia unus est per se et natura sua a sola causa prima, alius est a secunda simul cum prima, sive quia unus ita est effectus Dei ut sit etiam instrumentum ejus et applicatio causæ ad operationem, alius vero est pura actio, vel purus effectus utriusque causæ. Hæc namque rationes, et si quæ aliæ in illa sententia excogitari possunt, non minus in actibus immanentibus quam in actionibus transeuntibus procedunt; ergo si in his sufficiunt ad distinctionem realem quam subjecta distincta manifestant, etiam in illis sufficient, quamvis in eodem subjecto sint. In eodem enim subjecto facile esse possunt accidentia realiter distincta, si aliunde habeant sufficientem causam distinctionis.

7. *Idem ostenditur in actione immanente.* — *Secunda ratio.* — Præterea specialiter idem ostenditur, quia in actu immanente nulla est ratio formalis realis ac physica, nisi vel qualitatis, vel actionis et passionis seu mutationis; alias enim præter has confingere voluntarium est. Unde non satis est dicere dari in illo actu, seu in illa entitate aliam rationem formalem distinctam ab his in re ipsa, nisi explicetur in quo genere vel prædicamento sit talis formalitas, et ad quid ponatur; alias, qua facultate asserta fuerit, eadem contemnetur. At vero in illa entitate non est nisi una ratio qualitatis, verbi gratia, amoris, fidei, vel similis; ergo in ratione qualitatis non possunt in illa entitate duæ rationes formales distingui quasi specificæ, ut gradus genericos et específicos omitamus, quia nihil ad rem præsentem faciunt.

Neque etiam in illa entitate vel ad illam qualitatem possunt esse duæ actiones ex natura rei formaliter distinctæ, una prævia ad actionem creaturæ, quæ sit a solo Deo, alia quæ sit a causa secunda. Primo, quia vel hæc posterior actio est a creatura sola, quod est impossibile, ut in superioribus fuse probatum est, vel est simul a Deo, et sic superflua est prior actio. Secundo, quia si illa actio prævia solius Dei terminatur ad illam entitatem seu qualitatem, quam effectura est causa secunda, jam causa secunda invenit factum quod effectura est, quia prius natura fit a solo Deo; actio enim, quæ est prior natura in suo esse et influxu a suo agente, prius etiam attingit naturam terminum; ergo si actio talis termini prius natura fluit a solo Deo, Deus etiam solus prius facit totum illum terminum, et totaliter, seu ut causa unica, et sic destruitur etiam propria efficientia causæ secundæ, et in actibus immanentibus id habet specialem repugnantiam, quia vitales sunt; ergo non possunt in illa entitate distingui in ordine ad eundem terminum duæ actiones formaliter distinctæ, neque etiam potest concursus præveniens solius Dei esse actio tendens ad effectum causæ secundæ, tanquam ad intrinsecum terminum, eo vel maxime quod tunc non esset influxus in causam secundam, sed in effectum ejus, quia per se primo tendit ad ipsum effectum, et non manet in causa, ut causa efficiens est, sed solum quatenus est receptiva sui effectus.

8. *Diluitur responsio.* — Respondent aliqui ibi esse duas actiones inter se ordinem habentes, quia prior, quæ est concursus prævius, tendit ad alteram ut ad terminum, et sic non distingui ut duas actiones immediate tendentes ad eundem terminum seu effectum, una proxima, illa, scilicet, quæ est a causa secunda cum concursu simultaneo Dei, et alia quæ est a solo Deo, mediante prædicta, ad quam proxime, ut ad suum intrinsecum terminum, tendit. Ita indicat Ledesma, dict. art. 7. Sunt autem hæc imprimis voluntarie dicta, quia probari non possunt; deinde superflua, tum quia illa actio quæ simul est a causa prima et secunda, sufficit ad productionem sui termini; tum etiam quia actio non indiget alia actione qua fiat, nam per seipsam immediate egreditur ab agente. Denique videtur etiam impossibile ut una actio tanquam terminus ad aliam comparetur, quia actio, ut actio est, semper est via tantum, alioqui si posset esse terminus alterius actionis, idem de priori diceretur, et sic posset in infinitum procedi: non

possunt ergo duæ actiones ut actio et terminus distingui; igitur distingui non possunt illi duo concursus tanquam duæ actiones realiter identificatæ cum eodem termino seu effectu, seu cum eadem qualitate: hæc enim omnia in idem recidunt. Unde etiam concluditur non distingui tanquam duas passiones vel mutationes cum eadem proportionem, quia uni actioni una tantum passio respondet, quia sunt una tendentia secundum diversos respectus; idemque est de mutatione, quæ sunt in philosophia vulgaris, et ideo non oportet in eis immorari.

9. *Concluditur distinctio realis allata.*—Ex hoc autem principio, quod concursus prævius et concomitans inter se distinguuntur realiter, aperte concluditur eundem concursum prævium distingui realiter ab actione et effectu causæ secundæ, quia concursus simultaneus non distinguitur in re ab actione causæ secundæ, ut supra ostensum est, et actio causæ secundæ non distinguitur a termino, seu effectu ejus, ut est vulgare in philosophia: ergo, e converso, quidquid distinguitur realiter ab hoc concursu simultaneo, distinguitur etiam realiter ab actione et effectu causæ secundæ, ut per se notum est in rebus creatis, qui discursus, ut dixi, est evidentior in actionibus transeuntibus, sed revera habet eandem vim in immanentibus, etiam liberis, supponendo ad illas efficiendas dari præmotionem, per quam vel determinetur, vel compleatur, vel applicetur, vel ab alio modo juvetur potentia, juxta ea quæ mox subjiciemus.

CAPUT XXXII.

AN PRÆVIUS CONCURSUS SIT QUALITAS, VEL IN QUO PRÆDICAMENTO SIT.

1. *Varie sententiæ.*—*Prima: esse puram motionem.*—Hæc est octava dubitatio de hoc concursu, in qua explicanda non conveniunt dicti auctores. Nam, ut in superioribus tetigi, solum esse potest quæstio an sit vera qualitas vel sit pura motio, nam de aliis prædicamentis nulla potest esse dubitatio. Multi ergo ex defensoribus illius sententiæ dicunt non esse qualitatem, sed puram motionem virtuosam, et quidam illorum dicit esse sententiam expressam D. Thomæ 1. 2, quæst. 110, art. 2. At D. Thomas ibi non tractat de concursu prævio vel comitante, sed generaliter de actuali gratia, quam distinguit ab habituali, et sic habitus gratiæ vocat qualitates: actus autem

gratiæ dicit non esse qualitates utique a solo Deo factas tanquam formas, quæ sunt principia operandi; quod autem D. Thomas non loquatur de concursu, et quod hic sit sensus ejus, ex verbis ejus ostenditur: *Dupliciter (inquit) ex gratuita Dei voluntate homo adjuvatur; uno modo, in quantum anima juvatur a Deo ad aliquid cognoscendum, vel volendum, vel agendum: et hoc modo ipse gratuitus Dei effectus non est qualitas, sed motus quidam animi.* Non loquitur ergo D. Thomas de concursu prævio, sed de toto effectu gratuito, prout distinguitur ab habitu; et illum dicit D. Thomas non esse qualitatem utique puram et distinctam ab actuali motu animi, vel non esse qualitatem permanentem, et per modum qualitatis denominantis, sicut de passione dixit Aristoteles in prædicamentis. Alioqui certum est actum immanentem esse veram qualitatem, quod etiam supra diximus de actibus gratiæ, qui omnes vocantur animi motus, quia non sunt sine actuali influxu et effectione vitali potentiarum animæ. Et in hoc sensu distinguuntur ab habitibus, quos Deus solus infundit, tanquam *formas vel qualitates*, ut D. Thomas ait, quæ sint principia actuum.

2. *Ratione ostenditur, primo, ut videntur absurda alterius opinionis.*—*Secundo, id ostendit inductio.*—Omissa ergo auctoritate, ratio illorum auctorum prima est, ut evitent incommoda quæ ex illorum sententia solent inferri. Unum est, quia si illa motio prævia esset qualitas, utique esset qualitas activa, nam ad hoc ponitur ut agat; ergo indigeret motione primi agentis, et sic procederetur in infinitum. Ideoque sistendum est in motione quæ non sit qualitas; ac subinde illa erit pura motio, quæ datur causæ secundæ in actu primo sufficienter constitutæ. Aliud inconveniens est, quia si ille prævius concursus esset per infusionem qualitatis activæ, illa esset per modum actus primi, et completeret in homine principium sufficiens actuum conversionis vel amoris, et consequenter, qui illam qualitatem non reciperet, non haberet auxilium sufficiens ad operandum, quod in naturalibus est evidenter falsum, et in supernaturalibus ab ipsis etiam non admittitur, quia repugnat sanæ doctrinæ. Tandem argumentantur inductione, quia illa motio non est potentia, nam supponit illam, nec est habitus, quia non separatur ab actuali actione, sicut potest separari habitus; non est dispositio, quia est quasi actus ultimus; non est ergo qualitas, sed pura motio. Confirmatur hæc ratio, quia concursus si-

multaneus non est qualitas; ergo nec prævius erit qualitas.

3. *Secunda sententia, esse qualitatem.*—Alii nihilominus ejusdem doctrinæ defensores dicunt hanc motionem, licet, ut est passio quædam in fieri, sit vera motio, in termino intrinseco esse qualitatem, pro qua sententia citat Ledesma M. Joannem Vincentium, et alios doctissimos discipulos D. Thomæ; ipse vero varie loquitur, nam in prima conclusione asserit hanc sententiam non esse omnino improbabilem: in secunda, dicit probabilius et fere sibi certum esse, hoc auxilium prævium non esse qualitatem constituentem voluntatem in ultima consummatione actus primi; postea vero, explicando distinctionem, dicit: *An sit qualitas, nec affirmamus, nec negamus in presenti.* Et in conclusione 3, iterum ait hoc auxilium nihil aliud esse nisi divinam motionem. At paulo inferius dicit, secundum probabilior sententiam, in voluntate et simili potentia motionem ad actum immanentem esse qualitatem. Itaque, licet neget hanc motionem esse qualitatem constituentem potentiam in actu primo (de quo puncto statim dicam), absolute videtur sentire esse qualitatem, quamvis paulo post dicat illam non esse nisi motionem passivam, et factionem quamdam, quæ omnia ostendunt perplexitatem quamdam et obscuritatem in concipienda et explicanda entitate hujus motionis.

4. *Suadetur hæc opinio.*—Potest nihilominus hæc sententia dupliciter suaderi. Primo, a priori: nam hic concursus prævius est res quædam quam Deus vere et proprie efficit in causa secunda, verbi gratia, in voluntate; ergo ibi intervenit effectio Dei in causa secunda per mutationem ejus; ergo etiam intervenit aliquid factum, quod non potest esse nisi qualitas. Antecedens supponitur expositione illius sententiæ; asserit enim hunc concursum esse influxum Dei in causam secundam, qui influxus realis est, et non nisi in genere causæ efficientis, ut per se patet; est ergo vera et realis effectio Dei. Unde fit evidens prima consequentia, quia non loquimur de effectione ut ab aliquibus consideratur ad intra in ipso Deo: sic enim cum sit ipsa volitio Dei, non est motio formalis, sed effectiva, seu principium movens, de quo nunc non tractamus: loquimur ergo de effectione transeunte; sive per modum actionis, sive per modum passionis consideretur, ut sic necesse est esse actuali motionem, quia per eam voluntas seu causa secunda aliter se habet quam prius,

quia actuatur illo influxu Dei, quo antea non actuabatur; intervenit ergo ibi motio quædam, quod nullus illius opinionis sectator negat vel negare potest, cum fundamentum ejus opinionis potissimum sit, quia causa secunda non movet, nisi mota.

5. *Ex termino illius effectiois, quæ est aliqua qualitas.*—Altera vero consequentia probatur facile, quia non potest intelligi aliqua effectio quin sit aliquid factum, nec motio sine intrinseco termino, sicut non potest esse via quæ ad aliquem terminum non tendat; motio enim via quædam est qua passum ab uno termino in alium transmutatur; ergo si concursus ille prævius est motio Dei, aliquem terminum intrinsecum habere necesse est: ille autem non est ibi neque quantitas, neque substantia; ergo erit aliqua qualitas, quia nihil aliud cogitari potest. Respondet Ledesma terminum proprium seu proximum illius concursus prævii esse, causam secundam esse præmotam: nam ultimus terminus, ad quem tendit, est ipsa operatio, vel effectio causæ secundæ. Sed hæc verba rem non declarant, nec vim rationis elidunt; quia illud esse præmotum vel intelligitur tantum in fieri, ita ut idem sit quod esse in actuali præmotione, vel sumitur in facto esse, id est, quod sit aliquid esse ad quod terminatur illa motio tanquam per eam factum, non tanquam per formalem causam, sed tanquam per viam, ut si dicamus quod terminus calefactionis est esse calidum. In priori sensu, non terminus illius præmotionis, sed quasi formalis effectus ejusdem significatur. Omnis enim motus dat formaliter mobili actu moveri, seu esse motum; illud tamen est quasi esse formale, quod non est terminus motus, sed quasi formalis effectus ejus, ultra quem necesse est terminum assignare ad quem motus ille tendat; quia dum motus formaliter constituit mobile actu motum, necessarium est ut aliquo illud ducat et moveat. Sic ergo præmotio hæc, si dat causæ secundæ formaliter esse præmotum, seu actu præmoveri, ad aliquid illam præmovet, distinctum ab ipso præmoveri, tanquam terminus a via, et de hoc inquirimus quid esse possit, nisi qualitas aliqua.

6. *Explicatur ille terminus.*—Unde si esse præmotum in altero sensu explicetur, ut significet aliquid esse factum in termino per illam præmotionem, inquirimus quæ sit forma, vel entitas dans illud esse, seu (ut verborum ambiguitas tollatur), quærimus terminum illius præmotionis in abstracto, sicut terminus cale-